

quantur ex tali conversione. Primum scilicet conversionem explicat ostendens eam dari, quia corpus Christi vere est hic, et non per motum localem deserendo cœlum, et acquirendo locum in hostiis tam multis, sed manendo in cœlo. Oportet ergo, quod incipiat esse hic per hoc, quod panis convertatur in ipsum, et non per conversionem formalem, sic enim sola forma Christi, quæ est anima introduceretur in materiam panis, et sic non corpus Christi, quod est in cœlo, sed aliud quod acquireret ejus anima de novo ex introductione in materia panis esset hic. Restat ergo, quod sit conversio totius substantiæ panis in totam substantiam præexistentem corporis Christi; ejus formalis terminus sit corpus, ut conversum ex pane, non ut productum, et sic de novo dependens a Deo ratione novæ conversionis ex pane, non ratione novi esse; unde panis non annihilatur, quia non desinit in nihil absolute, sed in corpus Christi, quod est aliquid licet sit nihil panis; sicut omnis terminus ad quem est nihil termini a quo, non absolute nihil. De his ergo quæstione LXXV.

Ex ista autem conversione consequuntur duo. Primo, in corpore Christi modus existendi sacramentaliter, secundo, in speciebus panis, ac vini modus existendi per se sine subjecto. Et quantum ad primum, modus ille sacramentalis quo Christus hic existit attenditur in quatuor, scilicet quantum ad totalitatem substantiæ, in quam fit conversio, quia tota substantia corporis Christi hic est, licet quædam ex vi significationis verborum, scilicet id quod directe exprimunt verba, quædam per concomitantiam, scilicet quæ illi rei expressæ per verba in re conjuncta, sed non significata sunt. Secundo, quantum ad corresponden-

tiam ad quantitatem hostiæ, quia corpus Christi non est hic modo quantitativo, licet quantitas ejus hic sit, sed ad modum substantiæ totum in toto, et totum in qualibet parte, quia conversio panis quantumcumque minimi, non fit in partem, sed in corpus Christi totum. Tertio, quantum ad locum, et motum, quia non est hic, ut in loco circumscriptive, neque ut mobile per se localiter, sed movetur per accidens ad motum specierum. Quarto, non est hic modo visibili, et sensibili, quia non modo extenso, sine quo non potest sentiri. Et de his agit quæstione LXXVI. Quæ vero consequuntur in speciebus panis, et vini scilicet, quod sint accidentia sine subjecto, tractat quæstione LXXVII. Ubi considerat quomodo maneant ista accidentia, tum in essendo, tum in operando. In essendo manent extra subjectum, nec enim inhærent in pane, quia destruitur, nec in corpore Christi, qui non est capax accidentium panis, nec in aere in quo moventur non inhærent, ob eandem rationem, manent ergo conservatæ a Deo in esse, quod ante habebant, sine dependentia a subjecto, quam habebant. In operando autem, et patiando, eodem modo se habent sicut ante, quia vice subjecti est quantitas substantia per se, et ita agit, et patitur, quidquid subjectum pateretur usque ad corruptionem specierum. Agit ergo de hoc quæstione LXXVII.

Circa tertium, scilicet circa formam ostendit, quam sit conveniens forma utriusque speciei, quænam sint de ejus substantiali quidditate, quæ de integritate; quomodo earum significatio per ly hoc verificetur, et operetur, et quæ virtus illis imprimatur instrumentaliter a Deo ad hanc operationem. Et de his agit quæstione LXXVIII.

Circa quartum, considerat effec-

tum hujus Sacramenti, qui est gratia nos cibans et uniens Christo consummate in alia vita, et inchoate in ista. Unde effectus hujus Sacramenti est adoptio gloriæ per modum ultimæ unionis, fervor et perfectio charitatis, qui unit nos Christo, et consequenter ablatio venialium, et præservatio a peccatis; mortale autem non tollit directe, quia fervor charitatis supponit charitatem, et alimentum supponit vitam, non primo illam dat. De his ergo agit quæstione LXXIX.

Circa quintum, scilicet de recipientibus hoc Sacramentum, tractat D. Thomas de sumptione, tum sacramentali, et in re, tum spirituali, et in voto. De requisitis etiam, et disponentibus hominem ad hunc sumptionem. Debet enim totus homo disponi. In intellectu habendo iudicium rationis, non carendo discretionem illius. In voluntate expellendo peccatum si quod est mortale non solum per contritionem, sed etiam per confessionem se probando. In corpore ut sit jejunos, non pollutus etiam in summo quantum ad decentiam, nisi adsit necessitas. Denique, de frequentia, vel cessatione a communione quomodo expediat, agit de his omnibus quæstione LXXX. De usu autem quo ipse Christus specialiter usus est, quando instituit hoc Sacramentum, quem fructum in se habuerit, quo modo corpus suum dederit modo impassibili, licet in se esset passibile, agit quæstione LXXXI.

Circa sextum, agit de ministro hujus Sacramenti, qui est sacerdos legitime ordinatus. Et potest valide conficere, licet malus sit et illicite agat, licet degradatus, excommunicatus, hæreticus, etc. quia potestas nunquam tollitur, quæ est character indelebilis. Et sacrificium eundem habet valorem quantum ad id quod fundatur in persona Christi, et opere operato, non quantum ad

id quod fundatur in persona sacerdotis. De hoc ergo agit quæstione LXXXII.

Circa septimum, scilicet de ritu conficiendi hoc Sacramentum, et de ratione sacrificii, agit ostendendo tum hujus sacrificii substantiam, quod ex parte rei immolatæ est idem cum sacrificio crucis, ex parte modi diversum, quia hic incruento, et mystico modo sanguis funditur, consecrando seorsum calicem a pane. Et ideo in consecratione utriusque speciei, quatenus mystice sanguis separatur a corpore perficitur hoc sacrificium. Tum etiam de circumstantiis, cæremoniis, et modo sacrificandi, agit quæstione LXXXIII.

PŒNITENTIA.

De hoc etiam Sacramento lata est materia, quam in sex præcipua capita D. Thomas partitur. Primo, agit de ipsa pœnitentia secundum se. Secundo, de ejus effectibus. Tertio, de partibus, quæ sunt contritio, confessio, satisfactio latissime, ubi ratione satisfactionis etiam de indulgentiis agit. Quarto, de subjectis suscipientibus hoc Sacramentum. Quinto, de ministris et potestate clavium, ubi etiam de censuris, quæ ad ligationem, et absolutionem pertinent. Sexto, de publica et solemnii pœnitentia.

Circa primum, duo sunt in pœnitentia, scilicet ratio Sacramenti, et ratio virtutis, de Sacramento agit quæstione LXXXIV, ubi ostendit ejus necessitatem, quæ est pro omnibus post baptismum lapsis, et similiter materiam, et formam; materia sunt actus pœnitentis intus detestantis peccata, et exterius illa detestata confitentis. Forma autem est absolutio data a sacerdote. Et sic definitur Sacramentum pœnitentiæ;

Quod est confessio peccatorum cum absolutione sacerdotis. De pœnitentia autem, ut est virtus interior agit quæstione LXXXV, ostendens quomodo sit virtus, et specialis virtus. Est quidem virtus, quia detestatur, dolet de peccato, ut est contra Deum, et rectitudinem rationis. Specialis virtus est, quia licet amplissimam materiam respiciat, id est, peccatum, modo tamen speciali, id est, per modum recompensationis, et expiationis injuriæ factæ Deo, aliquid distinctum est a cultu, coli enim debet Deus etiam non offensus, et sic est in voluntate. Et de hoc agit in quæstione LXXXV.

Circa secundum, considerat D. Thomas quatuor effectus præcipuos pœnitentiæ. Primus est remissio mortalium. Secundus remissio venialium. Tertius impedire reditum peccati dimissi. Quartus reviviscencia meritorum, recuperatioque virtutum. In primo effectu considerat D. Thomas in peccato tolli debere et culpam, et reatum pœnæ æternæ, et dispositiones pravas ex peccato relictas. Culpam tollit pœnitentia ut virtus dispositiva. g. Sacramentum ex opere operato instrumentaliter, et eodem modo tollit reatum æternum, qui comitatur culpam, commutatur tamen in reatum temporalis pœnæ, si pœnitentia plene non satisfaciatur. Pravas autem dispositiones, et habitus non statim tollit sed exercitio virtutum in contrarium. Et de hoc agit quæstione LXXXVI.

In secundo effectu ostendit remissionem venialium non requirere infusionem gratiæ, nec formaliter fieri per eam, quia venialia non opponuntur habitui gratiæ, aut ejus intensionem. Tolluntur ergo per motum aliquem in Deum, qui virtualiter, vel formaliter sit displicentia illorum, et sic relinquat animam non retardatam a veniali, ut feratur

in Deum unde et quædam sacramentalia ex institutione Ecclesiæ dicuntur tollere venialia sicut aspersio aquæ benedictæ, et similia, quia ob institutionem Ecclesiæ efficacius excitationem illam conferunt, et de hoc agit quæstione LXXXVII.

In tertio effectu considerat peccata semel dimissa, etiam si iterum homo peccet non redire secundum se, quia macula illa quæ transit non est iterum volita, sed alia; sine voluntate autem non ponitur macula voluntaria peccati, et sine macula Deus non imputat peccatum, aut punit. Quia tamen gravius peccat, qui post remissionem relabatur, dicuntur edire peccata præterita secundum quid ex circumstantia ingratiitudinis. Et de hoc agit quæstione LXXXVIII.

In quarto effectu considerat D. Thomas pœnitentiam esse reparatricem, et gratiæ amissæ, et meritorum, quæ quis antea fecit, quorum non obliviscitur Deus, qui semel illa acceptavit, sed solum impeditur homo per peccatum, ne sibi reddatur præmium illorum. Sublato autem peccato per pœnitentiam, dicuntur reviviscere, quia Deus reddit illis præmium. Quia tamen contingit aliquem ita tepide resurgere, quod ei parum de gratia habituali de novo datur, eo quod Deus dat mensuram gratiæ unicuique juxta propriam dispositionem, contingit etiam quod resurgens a peccato, non statim ex vi hujus resurgentis per pœnitentiam tepidam accipiat totam intensionem gratiæ, quousque ferventius se disponat, vel in hac vita, ut vel prnbabile est in exitu ab hac vita, ubi anima separata efficacius operatur, nec tamen novam gratiam meretur. De hac ergo recuperatione virtutum agit quæstione LXXXIX.

Circa quintum, incipit D. Thomas considerare partes pœnitentiæ, præsertim illas quæ ex parte ipsius mate-

riæ se tenent sicut partes integrales ad Sacramentum pœnitentiæ requisitæ. Et istæ sunt tres, contritio (sub qua attritio intelligitur) confessio expressiva peccatorum cum dolore, et satisfactio. Et sic de istis aliisque partibus tractat in communi quæstione xc.

Sed dum in speciali parat D. Thomas eas explicare, et cætera usque in finem prosequi, ab ipso ultimo fine prævenitur revelante ei condensa hæc in templo gratiæ suæ, ut non ipse finem theologiæ, qui est gloria beatitudinis, scriberet, sed Deus illi pro præmio donaret.